



79

60

DE  
 ANΘΡΩΠΟΘΥCΙΑ  
 GRÆCORUM ATQUE GENTILIUM  
 IN UNIVERSUM  
*publicè disputabunt*  
 M. JOH. FRIDERICUS SCULTETUS  
 &  
 CHRISTIANUS SORDENANN.  
 Burgæ Saxo.  
 a. d. 10. Decembr.  
 cło Ioc LVI.

---

WITTEBERGÆ  
 Exscripsit JOHANNES RÖHNERUS, Academ. Typographus 1656.



ANΘΡΩΠΟΘΕΤΙΑ  
GRÆCORUM A TQVE GENTILIIUM  
IN UNIVERSUM  
MUSEUM  
M. JOH. FRIDERICUS SCHULTZUS  
CHRISTIANUS GODEFRIDUS  
LUGD. BATAV. A. D. 1746. C. P. LVI.  
LUGD. BATAV. A. D. 1746. C. P. LVI.  
LUGD. BATAV. A. D. 1746. C. P. LVI.





CAP. III.

Antiquitatis elogium. Definitio *ἀνθρώπων θυσιῶν*. Gregor. de Valentia rejicitur. Immolatio hominis ex naturâ non constat. ab alijs causis proficiscitur. Gentilium Dei *ἄθεοι* & ipsi Cacodæmones. Finis sacrificiorum. Exempla. Origo eorundem. Juvenalis locus.

**B**onam partem nostræ *ἀνθρώπων θυσιῶν*, jam tunc præcepimus. nec tamen omnem. Altera nunc perpolitur. Et ipsa hæc, antiquitatis partem non panitentiam refert. Quo literarum genere nihil melius, nihil dulcius, nihil utilius. Nec id in Auctorum modò, sed & sacrarum literarum lectione multum nos juvat. Cæterum *ἀνθρώπων θυσιῶν* dicimus esse Sacrificium, ab ipsis hominibus, duce Satana institutum, ubi homines immolando, vel disquirebant Deorum voluntatem, aut solam animam Dijs sacrabant majores: hæc fini, ut tum calamitates, tum alia averruncarent pericula, tum quod hoc modo immortalium Deorum numen placari arbitrati fuerant. Disputat Gregor. de Valentia, Sacrificia ex rectâ naturæ inclinatione proficisci, eâq; compulsos, cum Patriarchas, tum gentiles quoq; sacrificasse contendit. Cui nos unicum Platonem opponimus, qui disertè. *ὅδ' ἐν δυνάτῳ εἰδέσθαι τῆς θνητῆς φύσεως τῶν κοίτων ὡς εἶ.* Non potest mortalis natura quidquam certè

*de his ( Sacrificijs & cultu Numinis ) cognoscere. εἰ μὴ θεός*

A. 2

ἢ Θη-

lib. 1. de Mis-  
se Sacrif.  
c. IV.

L.L. appen-  
dice.



*ἢ Φησὶτο, nisi Deus dux & auctor fuerit.* Quin imò, si hu-  
manam rationem de hoc divini cultûs genere consulas,  
alicubi tam capitale fuit, bovem necasse, quàm civem.  
Et Solon, sapientissimus Atheniensium Legislator, bo-  
vem immolari disertè vetuit: tantum abest, ut humana  
ratio potuerit judicare hunc cultum Deo gratum esse.  
Hominum immolationem nusquam ex naturâ habuit  
Antiquitas. Nam contra naturam ac omnem humani-  
tatem est, humanum litare sanguinem. Nata verò hæc  
*αὐτὸ πρὸς ἑαυτὰ* ex mirâ multorum imprudentium reli-  
gione, quos cæca Numinis circumvenit superstitio. Ac-  
cedere dehinc Sacerdotes, qui rem sacram in precio  
retinere, & populo commendare, quum abominanda  
potius videri possit, quàm ullam præ se ferre sanctita-  
tem. Quid tandem Dæmonum fraudes? qui nullam  
oppressis animis respirandi fecerunt copiam, ut vel tan-  
dem cogitarent secum, quàm sceleratam, impiam &  
eruentam addiscerent religionem. Et fuit præterea legi-  
bus cautum, nec leve supplicium illis propositum, uti  
Dionysius Thrax memorat, qui alios Deos, atq; præsen-  
tes colerent, aut introducerent unquam. Ut quos frau-  
des impuræ religionis nō cohercerent, Deorum metus,  
leges Sacerdotum, & vulgi seditio in ordinem redigeret.  
Atq; ita nulla impietas, nulla tyrannis ab aris gentilium  
Deorum abesse poterat. nec enim ad animalia scele-  
rum omnium immunia, sed & ad ipsos homines illa fe-  
ritas transijt. Deos ergò vocabimus? qui suos cultores  
parricidijs omnib. fecerunt exitiabiles. Filium unicum  
parens, mater filiam Dijs præsentibus tanquam ovem  
mactabat. At tantum aberat, ut Dij essent, ut ipsisimi  
potius Cacodæmones. qui nullâ aliâ hostiâ, nisi humanâ  
litari

*Brent. præ-  
fat. in Levit.*

*lib. II. diere.  
scm.*

*lib. I. diere.  
scm.*

*lib. I. diere.  
scm.*

litari imperabant, ut si cruoris humani repleti, tum de-  
mum propitij essent, quum maximè lassissent. Demen-  
tiam hominum, & infelicem vitam! Meritò suò Jovem  
omnium calamitatum auctorem Achilles vocat. Home-  
rus minus dispositum, & temerarium. Et Venus non  
hunc modò, sed & omnes alios Deos inclementes prae-  
dicat. Ac quum levisimi hominis sit, mentiri, nec hoc  
vitium quidem abs se habuit Jupiter. unde Hydacides in  
lib. μ. Iliad.

Ζεῦ πάτερ, ἢ ἔχνη καὶ σὺ Φιλοψευδῆς ἐτότυξες  
πάγχυ μάλα.

Jupiter an mendax pater es, jam nulla loquenti  
Danda fides.

Et quorsum ista responsa, dubia ac ambigua? quae & in  
omnes partes agi poterant, & meras fallacias occule-  
bant. Unde Plutarchus queritur. Conducibilius, in-  
quit, Carthaginiensibus fuerat, Critiam initio, aut Dia-  
goram legum sortiri latores, ac Deorum nullum arbi-  
trari, aut Daemonum, quam ejusmodi cruenta obire Sa-  
era. praestaret enim Deos non credere, quam crudeles opi-  
nari & sanguinarios. Et Xenophanes physicus, quum  
Aegyptios converberantes pro sacrorum more, atq; lu-  
gentes conspexisset, subinnuit amicè, ne lugerent, si Deos  
putarent, sed nec sacrificarent, si homines crederent.  
Atq; utinam paulò altius hæc secum pensitassent mor-  
tales, effugissent, credo, horrendum illud homicidij ge-  
nus. Licet quoq; finem sacrificantium spectes, nihil  
excusationis mereri videntur.

— — careat successibus, opto,  
Quisquis ab eventu facta notanda probat.  
Diximus olim, ad avertendas calamitates illud sacrificij  
factum esse. Nec sine teste. Adest Dionysius Halicar-  
nasseus,

Euseb. lib.  
IV. de pre-  
par. Evang.  
c. VII.

nasseus, Romanæ historiæ ac Italicæ longè peritissimus, qui Jovem Apollinem ob non immolatam hominum decimam, magnas Italis calamitates immisisse scribit. Nulli fructus arboribus erant, & si qui fortè, præcoces tamen. Aristæ inanes, & herba pecori ingrata. Ipsi fontes, aut non poterant bibi, aut toti æstate aruerunt. Mulieres sæpe abortiri, ac pueri manci, aut nulli nasci. Reliqua hominum colluvies longè innumeris infestari contagionibus. Rogatum tandem Numen, quid admisissent in Deos cives, aut qui tandem agerent, uti effugerent has pestes. Responsum est, quia, quum impetrassent, quod voluerint, nusquam tamen solvissent, quod deberent. Plura adhuc superare, quæ si cederent, nihil periculi sustinendum amplius. Redditum est responsum, & magna inter omnes orta disceptatio. Tandem Senior, aliarum rerum primitias rectè esse oblatas dixit, nullam tamen hominum partem, quam tantopere superi flagitant. Quare subinde, inquit, recentibus premimur calamitatibus, nisi, quæ requirunt superi, præstamus. Hanc Senis responsionem, Oraculum quidem, at non omnes æquè probarunt. Unde integræ urbes perditum ire, exules cives, Græciam ac Barbariam potius, quàm Italiam frequentare. Nec paucis annis hoc malum Italiam habuit. Nam proceres civitatum, tum ut seditionem evitarent, tum & religioni satisfacerent, optimos quosq; Adolescentum supplicio manciparunt.

Grot. de sa-  
tisf.

Diximus adhuc, ad alia averruncanda pericula quoq; sacrificatum esse. De Massiliensibus præcipuè memoriæ proditum, quoties pestilentia laborarent, solitos fuisse, pauperem alere publicis sumptibus, qui verbenis ornatus & sacris



& sacris indutus vestibus, per urbem duceretur cum ex-  
secrationibus, ut in ipsum omnia civitatis mala recide-  
rent, & sic Dijs immortalibus immolaretur. Gemina his *Euseb. d. l.*  
Diodorus de Carthaginensibus ab Agathocle Siciliae ty-  
ranno obsessis refert. Saturnum illis offensum dixerunt,  
quod olim excellentiores ex filijs ei obtulerint. Nunc  
ubi securi veteris cultus, liberis suis emtos clanculum  
infantes substituerant. Sed non diu hæc consuetudo va-  
luit. mox ubi hostes illis incubuerunt, ad veterem insa-  
niam prolapsi sunt. Iratos maxime Deos ob intermis-  
sum cultum credebant. Ut ergo placarent rursus, CC  
ex nobilissimis adolescentum publicè immolarunt.  
CCC alij, quia se nunc obscuros non esse animadverte-  
rent facile, sponte suà se dederunt. Adeo persuasissimum  
sibi habebant gentes ista, delictis hominum offendi &  
irasci Deos. Ex hæc irâ sequi solere magnas calamitates,  
quâ privatas, quâ publicas. Ira ista colligebatur ex cau-  
sis aut effectis. Ex causis, si qua facinora ad notitiam per-  
venissent. Ex effectis, portentis, prodigijs, signis cœlesti-  
bus. Iram tamen hanc sperabant averti posse quibusdam  
victimis. His dicebatur placari Numen, reus ipse, aut  
homo, aut populus purgari, seu februari, peccatum  
piari ac lustrari. Et longè facilius se quidem impetra-  
turas veniam sperabant illa, si ἀντιλύτρως cum eo, quod re-  
dimeretur, aliqua esset æqualitas, ideo à pecudum ma-  
ctatione in piaculis faciendis ventum est ad mactatio-  
nem hominum. Causam ipse Cæsar de bellis agens, ad-  
dit, Pro vitâ hominum, nisi vita hominis reddatur, non  
posse Deorum immortalium Numen placari. Nec  
aliam habent originem Deciorum, Curtij & aliorum  
devo-

devotiones, quibus antiqui placatos Deos censebant, Li-  
vius vocat Decios, piacula omnis Deorum iræ. item PIA-  
CULA luendis periculis publicis. Luc. LUSTRALES  
belli animas. Nec omnittendus insignis JUVENALIS  
locus:

Plebejæ Deciorum animæ, plebeja fuerunt  
Nomina. PRO totis legionibus hi tamen & PRO  
Omnibus auxilijs, atq; omni plebe Latinâ  
SUFFICIUNT DIS infernis, Terræq; parenti:  
Pluris enim Decij, quàm qui servantur ab illis.  
Et circumferuntur adhuc alia exempla illorum, qui pro  
patriâ devoti, ἀναθηματα, περιψήματα, κατὰ κράτος se-  
se fecerunt. Ipse Paulus, uti Judæis amorem suum ex-  
primeret, nec anathematis quidem obire vices veretur.  
Rom. IX. 3. Et quando Apostolos alios, abjectissimum  
hominum genus, describit, indignos mundo haberi, ait,  
hujus vitæ usurâ, dignos contra, qui mari præcipites in-  
ferantur, quibus teste Suida quondam dictum, περιψήματα  
ἡμῶν γένος.

1. Cor. IV. 13.

#### CAP. IV.

Universalis ἀνθηρωπουσίας usus. Cui potissimum  
facta & instituta. Illius duo genera. Consultorium.  
ejus causæ, ritus, divinandi ratio. Votivum, publi-  
cum & privatum. Hostiæ utriusq; hostes, innocen-  
tes aut liberi. Modus immolandi. Et Græci hunc  
ritum observarunt. Plato explicatur. Ciceronis lo-  
cus. Romani quoq; rei Gallorum criminis. Ludi gla-  
diatorij.

Larga se denuò aperit ἀνθηρωπουσίας materia. Et si  
per exempla ires, quæ chartæ sufficerent? Occupaverat  
hoc

hoc malum universum terrarū tractum, nec hodie quidem in orbe extero seu Americano & in veteri Indiā desijt. Nam, qui illas oras notitiæ hominum tradiderunt, illum ritum viguisse ibi asserunt. Verissimè omnium Plinius de his sacris in unum collectis exclamat: *Adeò ista TOTI mundo consensere, quanquam discordi & sibi ignoto.* Cuinam potissimum Deorum humanas immolarint victimas gentes, disputatur. Germanos, ut & Gallos Mercurio id fecisse, Cæsar & Tacitus habent. Marti pariter ac Mercurio Hermunduros & Gothos adversam devovisse aciem, memorant iterum Tacitus & Jornandes. Dionysius tandem Halicarnassæus, non modo Carthaginenses ac Gallos, & alias Occidentis gentes, (Hispanos Clüverius colligit) sed & Græcos ac Latinos Saturno eodem modo sacrificasse, auctor est. Unde Saturnum tumulum filiorum Tertull, vocat. Præterea duo potissimum humanarum hostiarum genera, uti & in alijs, observat Trebarius. quem in definitione *ἀνθρώπων θυσιῶν* secuti sumus. alterum fuit, in quo voluntas Deorum disquirebatur. alterum, in quo sola anima Dijs sacrabatur. Illud consultorium, hoc votivum dicunt. Utrumq; Cæsar his verbis indicat, aut immolant, aut se immolatuos vovent. Integer locus de Gallis comment. VI. ita habet: *Natio est omnis Gallorum admodum dedita religionibus, obq; eam causam, qui sunt affecti gravioribus morbis, quiq; in prælijs periculisq; versantur, aut pro victimis humanis immolant, aut se immolatuos vovent, administrisq; ad ea sacrificia Druidibus utuntur, quòd pro vitâ hominis, nisi vitâ hominis reddatur, non posse aliter Deorum immortalium Numen placari, arbitrantur: publiceq; ejusdem generis habent instituta Sa-*

B

*cificia*



crificia. Supplicia eorum, qui in furto aut latrocinio, aut aliqua  
noxâ sint comprehensi, gratiora Dijs immortalibus esse arbi-  
trantur, sed quum ejus generis copia deficit, etiam ad innocen-  
tium supplicia descendunt. Fuit ergo hoc primum genus  
sacrificiorum, ubi hominem pro vitâ hominis immo-  
labant, votis additis, si aut graviore morbo decumbe-  
rent, aut aliquod vitæ periculum adirent, & tunc de fu-  
turo exitu exta immolati hominis consulebant. Ita de  
hoc immolationis modo apud Celtas Diodorus refert  
*παλαιὰ τινι καὶ πολυχρονίῳ παρατηρήσει*, i. e. ex longinquâ  
vetustatis observatione fidem ait Druidas invenisse ex  
humanis hostijs divinantes. Et Sophocles ex vetustiss.  
Græcorum Poetarum in Andromeda:

*νόμος γάρ ἐστι τοῖσι βαρβαροῖς κρόνον  
θύη πολὺν βρότειον ἀρχήθεν γένος.*

Ritus est antiquissimus barbaris, Saturno

Immolare humanum genus

Strabo lib. IV. de Gallis, dorsum hominum feruisse tradit.

*Ἀνθρώπων, inquit, κατεσπείσμενον πάσαντες εἰς νῶτον μαχαίρᾳ  
ἐμαίτευοντο ἐκ τῆς σφάδασιμῆς: Hominis, libamine perfusi, ter-  
gum gladio ferientes, ex palpitatione divinabant.*

Eadem ergo, quæ animalium, atq; hominum sacri-  
ficandi fuit ratio. Admovebatur aræ hostia. Sacerdos  
vinum, vel ubi hoc deerat, alium quendam liquorem  
fronti invertebat. Dein, ubi capillos primores lævâ ma-  
nu arripuerat, igni libamina adfudit, preces DEO exsol-  
vit, & ipsam hostiam gladio ferit. Præterea manus hu-  
manis victimis post terga fuisse vinctas Naso scribit,

Protinus immitem Triviæ ducuntur ad aram,

Evincti geminas ad sua terga manus.

de Pont.

l. III. § 20.

an



an cœco quodam æmulandi impetu, an aliâ forte de cau-  
sâ. Et in libro creationis de Abrahamo Isaacum immo-  
laturus legimus: Postea colligans artubus Isaacum filium *Gen. XXII. 9.*  
suum; imposuit eum altari super ipsa ligna. Postquam  
ergo è lapsu cæsi corporis, è palpitatione membrorum,  
è sanguinis fluxu, atq; extis iudicium factum erat, reli-  
quo cadaveri, idem quod brutis victimis accidit, quod  
Virgil,

Et solida imponit taurorum viscera flammis.

Alterum illud genus sacrificiorum, *volivum nempe*, his  
verbis Cæsar notat. aut se immolatuos vovent. & mox;  
publiceq; ejusdem generis habent sacrificia. Ab hoste  
sacrificia illa publica & votiva peragebantur; nempe, si  
superarent, adversam aciem, vel primaria ejus capita  
Dijs se consecratos. Nam quando privatus quispiam  
morbo, vel periculo alio laborabat, captivorum ali-  
quem, aut quando hic defecisset, suam immolabat pro-  
iem. Contrâ ubi tota universitas dolebat, numerosis-  
simo liberorum nobilium agmine Deorum iras averte-  
bant. *Cæterum supplicia eorum*, pergit Cæsar, *qui in furto*  
*aut latrocinio, aut aliquâ noxâ erant comprehensi, gratiora*  
*Dijs immortalibus esse arbitrantur, sed quum ejus generis co-*  
*pia deficit, etiam ad innocentium supplicia descendunt.* Digna  
verò victorum immolatio, ut qui non unius, vel alterius  
hominis, sed universæ sæpe civitatis fortunas pessun-  
dant. Innocentium supplicia, potissimum liberorum  
sunt. Ita Silius de Carthaginensibus. l. IV.

Mos fuit in populis, quos condidit advena Dido,  
Poscere cæde Deos veniam, ac flagrantibus aris,  
(Infandum dictu) parvos imponere natos,

B 2

Nec

Nec Ennius abludit.  
Ille suos Divis mos sacrificare puellos.

l. XIIX.

De eadem gente Justinus: *Quum inter cetera mala etiam peste laborarent, cruentâ sacrorum religione, & scelere pro remedio usi sunt. quippe homines, ut victimas immolabant, & impuberes, (quæ etas etiam hostium misericordiam provocat) aris admovebant. pacem Deorum sanguine eorum exposcentes, pro quorum vitâ Dijs rogari maxime solent. Votivas pecudum victimas, ubi sola anima Dijs sacrabatur, totas cessisse in epulas aliunde constat. An ergo & hic communis victimarum hominum ratio? Sanè, nusquam credidisset id Clüver, nisi tota Antiquitas, & Asiâ & Africâ fuisse gentes ἀνθρώπων θύγας, easq; frequentes passim, uno ore evinceret. nec novum, quem dicunt, orbem, ejusmodi monstra adhuc destituunt. Olim, cæso homine, quum flammis sanguinem paterâ exceptum adfuderat Sacerdos, tota ac solida viscera, aut etiam in partes dissecta, in epulas parabantur. si credimus Cluverio. Et ille ipse mos tandem humanâ vescendi carne, si non ex humanis hostijs originem habet, nullam habet.*

l. C LVII.

*Plinium adhuc audiamus lib. XXX. c. i. sexcentesimo, quinquagesimo septimo demum anno Urbis, Cn. Cornelio Lentulo, P. Licinio Crasso COSS. senatusconsultum factum est, ne homo immolaretur. palamq; in tempus illud sacra prodigiosa celebrata. Gallias utiq; possedit: & quidem ad nostram memoriam. namq; Tiberij Caesaris principatus sustulit Druidas eorum, & hoc genus vatum medicorumq;. Sed quid ego hac commemorem in arte Oceanum quoq; transgressâ, & ad naturæ inane pervectâ? Britannia hodieq; eam attonitè celebrat, tantis ceremonijs, ut dedisse Persis videri possit. Adeo ista*

toto

toto mundo consensere, quamquam discordi & sibi ignoto. Non  
satis estimari potest, quantum Romanis debeat, qui sustule-  
re monstra, in quib. hominem occidere religiosissimum erat,  
mandere etiam saluberrimum. Idem auctor. Aspici humana  
exta nefas habetur. quid mandis? quis ista invenit ostenta?  
Tecum enim res erit, everfor juris humani, monstrorumq; ar-  
tifex, qui primus ea contulisti, credo, ne vita tui oblivisceretur.  
Quis invenit singula membra humana mandere? quâ con-  
jecturâ inductus? quam potest medicina ista originem habuif-  
se? quis veneficia innocentiora effecit, quam remedia? Esto.  
barbari externiq; ritus invenerint. etiamne Græci suas has  
artes fecere? Hactenus Plinius. Profecto, si Græcorum hic  
fuit ritus, nec ipsi Latini illius immunes sunt. Nam ea-  
dem Theologia, eadem instituta, eadem sacrificia apud  
utrosq; viguerunt. Unde receptum fuit UBIQUE, ob-  
servante Grotio, ut humano sanguine Dij placarentur.  
Plato quidem Græcos ab hac ἀνθρώποφθορίας labe puros  
esse ait, ἡμῶν μὲν, inquit, ἡ νόμος θεῶν ἀνθρώπων ἔστιν, ἀλλ' ἀνόσιον  
καρχηδόνιοι δὲ θύουσιν, ὡς ὄσιον ἐν καὶ νόμιμον αὐτοῖς. καὶ ταῦτα  
ἐνίοι αὐτῶν ἔστι τῶ κρέονα, ὡς ἰσῶς καὶ ἀκίροας. Nobis immolare  
homines leges non permittunt, sed nefarium est. at apud Car-  
thaginenses justum sanctumq; habetur, adeo ut eorum nonnul-  
li filios Saturno sacrificent, ut ipse forsitan audivisti. At verò de  
suo ævo loquenti Platoni facile subscribimus. de priscis  
Græcis tamen id nunquam evincet, quod nefarium existi-  
maverint homines immolare. Quem fugit, in accessu ad  
Trojam Agamemnonem filiam suam Iphigeniam & in  
regressu Pyrrhum Polyxenam Priami filiam immolaf-  
se? Plinius historiâ naturali, Arcades Jovi Lyceo huma-  
nâ hostiâ faciebant. M. Tullius oratione pro M. Fon-

l. XXII. c. 16

l. 8. c. 22

B 3

tejo.



rejo Galli, si quando aliquo metu adducti Deos placandos esse  
arbitrantur, humanis hostijs eorum aras funestant, ut ne reli-  
gionem quidem colere possint, nisi eam ipsam prius scelere vio-  
larint. Quis enim ignorat, eos usq; ad hunc diem retinere  
illam immanem ac barbaram consuetudinem hominum im-  
molandorum? Quamobrem, quali fide, quali pietate existi-  
matis esse eos, qui etiam Deos immortales arbitrentur homi-  
num scelere & sanguine facillimè posse placari. Verùm gen-  
tis suæ nunc obliviscitur Cicero; num tempus illud præ-  
terit eum, ex quo Latini, ac ipsi Romani his olim usi sa-  
crificijs. Satis constat, quanto pretio Romanis fuerit

Suburbanæ templam Nemorale Dianæ

Dianæ Aricinæ. Hujus simulacrum è Tauricâ Cherfo-  
neso, ubi hospites illi immolati, Ariciam delatum fuit,  
ubi, usq; dum illud Spartam attigerit, servos oblatos ac-  
cepit. Id quod Hyginus refert, & qui eum exscripsit  
Servius

Sanguine placatis ventos & virgine cæsâ.

Imò A. U. 15 XXVII. M. Valerio Messalla, & L. Apustio  
Fullone Coss. Pontificum ac Xuirum auctoritate, Gal-  
lum & Gallam, Græcum & Græcam ferali sacrificio, ut  
averruncarent malum, vivos in foro boario sub terrâ de-  
missos esse refert Plutarchus & Zonaras, ut Augustinum,  
Orosium & alios adhuc taceam. Habet equidem Plinius  
loco jam ante addito: *Non satis estimari potest, quantum  
Romanis debeat, qui sustulere monstra, in quibus hominem  
occidere religiosissimum erat, mandu. etiam saluberrimum.*  
Honestâ hæc Plinî oratio, sustulisse v. prorsus hunc mo-  
rem Romanos, non probat. Quum enim ludi gladia-  
torij initium caperent, iterum sanguine hominum Nu-  
men placatum est Auson,

Et

*fab. CCXI.  
in illud  
1. Æn.*

*in Marcello.  
in II. Annal.  
lib. XXX. c. 1.*

*Tertull. apol.  
c. IX. Minst.  
in Octavio.  
Lactant. lib.  
1. c. XXI.  
Idyll. XXVI.*



Et gladiatores funebria praelia notum  
Decertasse foro: nunc sibi arena suos  
Vindicat, extremo quum jam sub mense Decembri  
Falcigerum placant sanguine calicolum.

Ubi cum Poeta non Nemesein, quod Capitolinis innuit,  
sed Saturnum humano sanguine cultum esse legimus,  
quod iterum alij Marti & Dianæ tribuere videntur. Et  
in spectaculis, in Circo, in theatris passim homines à fe-  
ris lacerabantur, in honorem Dei illius, cui ludi dicati  
erant. Graviter Salvianus reprehendit, & taxat perditos  
hos mores: *In spectaculis inquit, primum deliciarum genus*  
est mori homines, impleri ferarum alvos humanis car-  
nibus, cum circumstantium voluptate, & conspicien-  
tium lætitiâ. Atq; ut hoc fiat, orbis impendium est. Ade-  
untur loca abdita, lustrantur invij saltus, peragrantur  
sylvæ inexplicabiles, & ut devorari possint  
homines, non licet naturam rerum  
aliquid habere secretum.

*in vitâ Ma-  
ximi & Bal-  
bini.*

*Tertull. de  
spectaculis*

*lib. IV.*

“

“

“

“

“

“

“

“

“

TANTUM!

Ad

Disputationis Præstantissimæ

PRÆSIDEM

TAm tûm tibi surgebat omnis concio,  
FRIDRIGE, plausus inter & læta omina  
Cedens theatro, pulpita ut conscenderas  
Orator acer. Sed factis in literis  
Cùm deditus mox ipse totus arduum  
Bis disputator miseriffes praelium  
Fortis, ferebas omne punctum ex tempore  
Nunc septies Sophiæ in palæstris publicæ

Specta-

Spectatus, idem quando colluctantibus  
Moderator astas, atque dux certaminis,  
Implet cathedram juxta & omnem Leucorin  
Meritisque tot, tot & decoris laudibus.  
SCULTETE felix, & paterni nominis  
Assertor auspicatus, insta, quod facis,  
Insta tibi, patrique gaudium crea  
Novum subinde, maximum ipse tibi decus!  
Quid potius etenim, quam domi florens pater,  
Quem frugis optima evehunt nati foris?

Johannes Ericus Ostermannus

---

**E**xsere Te, viresq; tuas, nudare lacertos  
Incipe, & egregium Te modò siste Virum.  
Nam tua res agitur, non Ostermannia Virtus  
Te levat. Ipse tibi praeses & auctor eris.  
Nil desperandum, sin forsitan excidis ausis,  
Praeclarum est magnis ausibus excidere.  
Vota tamen meliora paro. Te cura Tonantis  
Atq; meae retinent, JAN-FRIDERICE, preces.


T. Parens

M. Fridericus Scultetus


Eccles. Torgensis Diaconus.











00 A 6436 ✓

ULB Halle

3

004 931 300









79 60

DE  
ANΘΡΩΠΟΘΥCΙΑ  
GRÆCORUM ATQUE GENTILIIUM  
IN UNIVERSUM  
*publicè disputabunt*  
M. JOH. FRIDERICUS SCULTETUS  
&  
CHRISTIANUS SORDENANN.  
Burgæ Saxo.  
a. d. 10. Decembr.  
c15 l5c LVI.

---

WITTEBERGÆ  
Exscripsit JOHANNES RÖHNERUS, Academ. Typographus 1656.